RECTOR

COMMILITONIBUS

CERTAMINA PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNUM MDCCCXLVIII

INDICIT.

Hermann, Gottfried

Praemissae sunt emendationes quinque carminum Olympiorum Pindari.

LIPSIAE

LITTERIS STARITZII, TYPOGR. UNIVERSIT.

Sunt quibus omnia difficilia, sunt etiam quibus facilia omnia videntur. Utrumque eorum est, qui rem quam sibi agendam sumpserunt, non satis cognitam habent. Nam si quis nescit quale sit id, in quo operam suam ponit, fieri non potest quin aut haereat, ubi nihil erat quod eum moraretur, aut non videat ea quae si eum non laterent, multam obiicerent moram. Est autem horum qui difficilia non vident multo maior numerus quam illorum qui se ex facilibus expedire nequeunt. Nihil enim tam opportunum plerisque est quam acquiescere aliorum iudiciis, quodque illi probarunt ita pro vero habere, ut denuo perpendendi labore supersederi liceat. Id ut in rerum antiquarum tractatione omni, sic etiam in Pindari carminibus factum est: quae si dixero etiam post eximiam Boeckhii operam compluribus locis nova cura indigere, non vereor ne dicam quod non ipse Boeckhius libentius quam qui eum secuti sunt concedat. Huic enim viro, qui Pindarum quanta nemo alius cura pertractavit, omnium maxime perspectum est quam multae in his carminibus quamque magnae dubitationes tum illustrare obscura tum corrupta emendare cupienti suboriantur. Nam praeter codicum fidem, quae saepe eo suspectior est quod multa et ab antiquis et ab recentioribus grammaticis temere imperiteque mutata sunt, haud paucis in locis divinatione quadam opus est, ut aut quid aut cur aliquid dixerit poeta probabiliter explicetur. Quin ne versuum quidem descriptio metrorumque ratio in aliquot carminibus aut certa est aut quae videatur probari posse. Atque ipse adeo Boeckhius quaedam metra in altera editione aliter quam in priore disposuit. Declarabo quae dixi exemplis quinque carminum ex Olympiis. Quod si quae mihi numerorum complexiones etiam longiores receptis faciendae erunt, quamquam et legenti et recitanti incommodum est tota systemata uno sesquipedali versu perscribi, tamen, quoniam in hoc salutem poetarum verti hodie plerique credunt, obsequar eorum religioni. Regnat enim in hoc quoque genere antiqua novicio nomine dea Moda: Graeci *μανίαν* dixere.

Quid sibi licere putaverint grammatici illustre exemplum est octavi carminis versus 8. ubi quum legeretur *ἄνεται δὲ πρὸς χάριν εὐσεβίας ἀνδρῶν λιταῖς*, Triclinius scripsit *πληρέονται πρὸς χάριν εὐσεβέων ἀνδρῶν λιταί*, de qua mutatione sic refert: *οὐ μόνον δὲ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ πολλὰ ἕτερα ἐκαινοτομήθη τῷ σοφωτάτῳ Μοσχοπούλῳ κἀμοί, ὡς ἐξετάζων εὑρήσεις, ἀνοικείως ἔχοντα πρὸς τὸ μέτρον.* Credebant enim *ἄνομαι* brevi *α* esse. Produci ab epicis dixeram, corripi autem aorista *ἄνηται ἄνοιτο.* Nec debebant quae Buttmannus in grammatica II. p. 115. ibidemque Lobeckius attulerunt suspensum reddere Schneidewinum. Apud Nicandrum Alex. 612. scribendum *ῥύσις ἄνεται.* *Ἄνυμι* vero non credo ab ullo scriptore usurpatum esse, sed *ἄνετο, ἄνομες, ἄνεται* restituenda Theocrito II. 92. VII. 10. Oppiano Hal. III. 427.

Triclinio igitur vel Moschopulo tribuendum videtur quod in prima stropha legimus, *εἴ τιν' ἔχει λόγον ἀνθρώπων πέρι μαιομένων μεγάλαν ἀρετὰν θυμῷ λαβεῖν, τῶν δὲ μόχθων ἀμπνοάν.* *Τῶν δὲ* enim quis credat a Pindaro profectum? Eadem sententia invenitur Nem. V. 48. VII. 16. et X. 24. ubi scribendum *ἔνθα νικάσαις δὶς ἔσχεν Θεαῖος δυσφόρων λάθαν πόνων.* Veteris scholiastae adnotatio *καὶ σπουδαζόντων ἀναπνοὴν λαβεῖν ἐκ τῶν κατεχόντων μόχθων* facit ut scriptum fuisse credam *ἔκ τε μόχθων ἀμπνοάν.* Videtur etiam simul luctus ob Callimachum ex morbo mortuum, de quo in fine carminis est, respici.

In nono carmine est locus, quem iam veteres scholiastae non habuerunt quo modo explicarent. Scribit de eo unus ad v. 85. *ἐναντίωμα δὲ κατὰ τὴν γενεαλογίαν ἐμπίπτει. τὴν γὰρ Πρωτογένειαν οἱ μὲν Δευκαλίωνός φασιν, οἱ δὲ Ὀποῦντος· καὶ δοκεῖ συμφωνεῖν μήτε ἡ γενεαλογία μήτε ἡ ἱστορία. ἄλλο γάρ τι ποταμὸς Ὀποῦς καὶ ἄλλο ἀνὴρ ἐξ Ἰαπετοῦ.* Dein narrat quo modo quidam haec solvenda putaverint, ineptissime quidem. Verba Pindari haec sunt v. 41.

φέροις δὲ Πρωτογενείας
ἄστει γλῶσσαν, ἵν' αἰολοβρόντα Διὸς αἴσᾳ
Πύῤῥα Δευκαλίων τε Παρνασσοῦ καταβάντε
δόμον ἔθεντο πρῶτον, ἄτερ τ' εὐνᾶς ὁμόδαμον
κτησάσθαν λίθινον γόνον, λαοὶ δ' ὀνόμασθεν.
ἔγειρ' ἐπέων σφιν οἶμον λιγύν,
αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων
νεωτέρων. λέγοντι μὰν
χθόνα μὲν κατακλύσαι μέλαιναν

ὕδατος σθένος, ἀλλὰ
Ζηνὸς τέχναις ἀνάπωτιν ἐξαίφνας
ἄντλον ἑλεῖν. κείνων δ' ἔσσαν
χαλκάσπιδες ὑμέτεροι πρόγονοι
ἀρχᾶθεν Ἰαπετιονίδος φύτλας
κοῦροι κορᾶν τε φερτάτων Κρονιδᾶν,
ἐγχώριοι βασιλῆες αἰεί.
πρὶν Ὀλύμπιος ἁγεμὼν
θύγατρ' ἀπὸ γᾶς Ἐπειῶν Ὀποῦντος ἀναρπάσαις ἕκαλος
μίχθη Μαιναλίαισιν ἐν δειραῖς καὶ ἔνεικεν
Λοκρῷ, μὴ καθέλοι νιν αἰὼν πότμον ἐφάψαις
ὀρφανὸν γενεᾶς. ἔχεν δὲ σπέρμα μέγιστον
ἄλοχος, εὐφράνθη τε ἰδὼν ἥρως θετὸν υἱόν,
μάτρωος δ' ἐκάλεσσέ νιν ἰσώνυμον ἔμμεν,
ὑπέρφατον ἄνδρα μορφᾷ τε καὶ
ἔργοισι, πόλιν δ' ὤπασεν λαόν τε διαιτᾶν.

Sic haec in libris scripta sunt et interpuncta. Apertum est dicere poetam laudare se velle novo quodam modo diversoque a vulgari fama urbem Opuntem, in quem locum post diluvium nepotes Iapeti Deucalio et Pyrrha ex Parnasso descenderint, iactique ab iis lapides mutati sint in homines; ab his hominibus oriundos Opuntiorum maiores regnasse, qui filii fuerint stirpis Iapetioniae et filiarum nobilissimorum Saturniorum. At nulli in his sunt Saturnii. Augetur difficultas iis quae sequuntur. Narrat enim poeta Iovem Epeorum regis Opuntis filiam rapuisse, quumque eam in monte Maenalo gravidam fecisset, tradidisse Locro liberis carenti, quo ex se illi filius nasceretur; ei adoptato Locrum a patre matris nomen fecisse Opunti, urbemque regendam dedisse. Apertum ex his est illam Opuntis filiam, quam non nominat Pindarus, eam esse quam supra Protogeniam vocaverat. Nam nec tacere potuit nomen mulieris, ex qua Locro natus esset Opus, nec quam Protogeniam dixit, Deucalionis et Pyrrhae filiam esse significavit. Hoc ergo pars est eorum quae a communi fama discrepantia narraturus erat, Protogeniam non Deucalionis et Pyrrhae, sed Eleorum regis Opuntis filiam fuisse. Relicua est altera pars: quaerimus enim, quae nullae sunt, filias Saturniorum. Sed prius quam de his dicatur removendus est gravis error et interpunctionis et interpretationis. Plene enim interpunxerunt ante *πρίν*, quod vocabulum interpretati sunt olim. At nec significat id usquam *πρίν*, nec si significaret poterat sic sine copula poni. Vox illa

ubique comparationem temporis continet, referturque ad aliquid quod tempore posterius sit. Quare sicubi videtur Latine olim dici posse, id nihil est aliud quam ante illud tempus, de quo aut sermo est aut cogitari debet necessario, hoc est illud tempus quo loquitur qui eo vocabulo utitur. Atqui hic si *πρὶν* de eo tempore diceretur, quo Protogeniam rapuisset Iupiter, factum id esse oporteret prius quam in Locride regnassent illi ex filiabus Saturniorum nati, quod patet absurdum esse. Hinc manifestum est alios quam Saturnios a Pindaro esse nominatos. Non videor errare si hos Leleges fuisse dixero. De his enim disserens scribit Strabo VII. p. 321. 322. *ὅτι δὲ πλάνητες καὶ μετ᾽ ἐκείνων* (Cares dicit) *καὶ χωρὶς καὶ ἐκ παλαιοῦ, καὶ αἱ Ἀριστοτέλους πολιτεῖαι δηλοῦσιν. ἐν μὲν γὰρ τῇ Ἀκαρνάνων φησὶ τὸ μὲν ἔχειν αὐτῶν Κουρῆτας, τὸ δὲ προσέσπερον Λέλεγας, εἶτα Τηλεβόας· κατασχεῖν δὲ καὶ τὴν Βοιωτίαν αὐτούς φησιν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τῇ Ὀπουντίων καὶ Μεγαρέων. ἐν δὲ τῇ Λευκαδίων καὶ αὐτόχθονά τινα Λέλεγα ὀνομάζει, τούτου δὲ θυγατριδοῦν Τηλεβόαν· τοῦ δὲ παῖδας δύο καὶ εἴκοσι Τηλεβόας, ὧν τινὰς οἰκῆσαι τὴν Λευκάδα. μάλιστα δ᾽ ἄν τις Ἡσιόδῳ πιστεύσειεν οὕτως περὶ αὐτῶν εἰπόντι·*

ἤτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν,
τούς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς
λεκτοὺς ἐκ γαίης λᾶας πόρε Δευκαλίωνι.

τῇ γὰρ ἐτυμολογίᾳ τὸ συλλέκτους γεγονέναι τινὰς ἐκ παλαιοῦ καὶ μιγάδας αἰνίττεσθαί μοι δοκεῖ, καὶ διὰ τοῦτο ἐκλελοιπέναι τὸ γένος. Sic scribendos esse versus Hesiodi, in quibus pro *λᾶας* apud Strabonem *λαούς*, in Etymologico Gudiano autem p. 362, 22. *λαὸς* legitur, viderat Heynius ad Apollodorum II. p. 39. Erravit enim Marckscheffelius ad fragm. Hesiodi p. 327. s., quum se a Schneidewino induci passus est ut *ἀλέας* scriberet, quia in Homericis epimerismis apud Cramerum Anecd. Ox. I. p. 264. legatur *Ἡσίοδος δὲ παρὰ τὸ ἀλές, τὸ σημαῖνον τὸ ἀθροῦν, ἀλαός, λαός.* Notavit errorem Th. Bergkius in commentationum criticarum specimine a. 1844. ad Fr. Creuzerum misso. Nam non solum res ipsa docet *λᾶας* dicendum fuisse, verum etiam, si ab *ἀλὴς* derivasset Hesiodus *λαῶν* nomen, posuisset

ἀλέας ἐκ γαίης λεκτοὺς πόρε Δευκαλίωνι.

Quod si quid veri est in ista epimerismorum notatione, sic scriptum fuisse putandum erit in carmine Hesiodi:

λεκτοὺς ἐκ γαίης λᾶας πόρε Δευκαλίωνι
ἀλέας.

Apertum nunc est cum Hesiodi narratione planissime consentire Pindarum, si verba eius sic corriguntur:

κείνων δ' ἔσσαν
χαλκάσπιδες ὑμέτεροι πρόγονοι
ἀρχᾶθεν Ἰαπετιονίδος φύτλας
κοῦροι κορᾶν τε φερτάτων Λελέγων,
ἐγχώριοι βασιλῆες αἰεί,
πρὶν Ὀλύμπιος ἁγεμὼν —

Nam *κείνων* refertur ad illos ipsos, qui ex lapidibus homines facti *λαοὶ* sunt dicti. Horum et filiarum nobilissimorum Lelegum filios regnasse in Locride dicit Pindarus, et quidem verissime indigenas, ut qui omnes ab iactis lapidibus orti fuerint; regnasse autem perpetuo, prius quam ex Protogenia Eleorum regis filia illum Opuntem genuisset Iupiter, cui ab eius avo Locrus nomen Opunti fecerit. Simul intelligitur rectius Pindarum quam Strabonem interpretatum esse quod Hesiodus *λεκτοὺς* dixerat, quos non collectos, sed delectos dici videns *φερτάτους* nominavit.

Persequar alia quae in hoc carmine emendanda sunt. Dixeram in adnotationibus tolli dubitationes quae in prima antistropha de scriptura motae essent, si versus illi essent unus asynartetus:

ἔν τε Κασταλίᾳ παρ' Ἀλφειοῦ τε ῥέεθρον.

Repudiavit asynartetos Boeckhius in dissertatione critica p. 10. nihil effici dicens exemplis quae allata sint, aliisque utendum fuisse argumentis. Ea vero unde promam? Num ex testimoniis metricorum veterum? At illos nescivisse quid esset versus asynartetus ipse docui, ostendique hoc nomen iis convenire versibus qui sicut placeret poetae nunc cohaerentibus numeris decurrerent, nunc ex duobus constarent non continuatis numeris. Quod si metrici quosdam Pindari versus qui non sunt asynarteti in asynartetis numerant, non sequitur quidem ut usum esse asynartetis Pindarum ostenderint, sequitur vero ut eos non refragantes habeat, si quis vindicet asynartetos Pindaro. Alio ergo utendum est argumento. Atqui id hoc ipsum carmen praebet. Nam si numeros consideramus quibus inde a tertio stropharum versu usus est poeta,

ἄρκεσε Κρόνιον παρ' ὄχθον ἀγεμονεῦσαι
κωμάζοντι φίλοις Ἐφαρμόστῳ σὺν ἑταίροις·
ἀλλὰ νῦν ἑκαταβόλων Μοισᾶν ἀπὸ τόξων
Δία τε φοινικοστερόπαν σεμνόν τ' ἐπίνειμαι
ἀκρωτήριον Ἄλιδος τοιοῖσδε βέλεσσιν,

quinquies habemus eosdem numeros, nisi quod quartus horum versus in priore parte tribrachum spondeum et choriambum pro Glyconeo habet: alterum autem membrum in omnibus idem est, sed caesurae variant, ita quidem ut in ultimo tantum brevis syllaba in commissura inveniatur, ea vero in fine vocabuli: in media enim voce si esset, eximeret versum ex asynartetis. Iam cui non mirum videretur, si Pindarus, quae membra tot in versibus in unum coniunxerit versum, in uno illo ultimo versu non coniunxisset? Accedit ut *Ἄλφεος* nusquam ei bisyllabum sit, quod sumunt qui asynartetum reiiciunt. Crediderim ego his satis firmatos esse versus asynartetos.

V. 32. non recte scribitur *ἤρειδέν τε.* Nam repetito vocabulo lex Graecae linguae *δέ* requirit: *ἤρειδε Ποσειδᾶν, ἤρειδεν δέ νιν ἀργυρέῳ τόξῳ πολεμίζων Φοῖβος.*

V. 68. vellem non receptum quod olim scribendum putabam *οἱ δ' Ἀρκάδες.* Servandum erat enim epicum *ἰδὲ* in versu Phalaeceo hendecasyllabo,

ἔκ τ' Ἄργεος ἔκ τε Θη | βᾶν ἰδ' Ἀρκάδες, οἱ δὲ καὶ Πισᾶται,

quum in ceteris strophis omnibus trochaeus in basi sit.

Quod v. 76. in libris scriptum est *ἐξ οὗ Θέτιος γόνος οὐλίῳ μιν ἐν Ἄρει,* non debebat inserto *γε* et mutato ordine verborum aptari numeris, sed *γόνος* ex superscripta interpretatione illatum monstrat sedem alius vocabuli, videturque scriptum fuisse:

ἐξ οὗ Θέτιος βλαστὸς οὐλίῳ νιν ἐν Ἄρει
παραγορεῖτο.

Finem carminis corruperunt grammatici, quum non videntes vitium quo *Ἀιάντεον* scriptum erat, *ὃς* interposuerunt. Restituendum:

τοῦτο δὲ προσφέρων ἆθλον
ὄρθιον ὤρυσαι θαρσέων
τόνδ' ἀνέρα δαιμονίᾳ γεγάμεν
εὔχειρα, δεξιόγυιον ὁρῶντ' ἀλκάν·
Αἶαν, τεόν τε δαιτὶ, Ἰλιάδα,
νικῶν ἐπεστεφάνωσε βωμόν.

Ceterum Schneidewinum et Rauschenstenium, qui scholiastam *ὁρῶντ' ἀλκὰν* interpretantem *βλέποντα ἀνδρεῖον* probantes, non recte me interpunctionem post *δεξιόγυιον* delevisse censuerunt, mutaturos sententiam spero si reputaverint, non modo *εὔχειρα, δεξιόγυιον, ὁρῶντ' ἀλκάν,* figuram esse oratori potius quam poetae convenientem, quam frustra quis

defendat vulgata scriptura versus 7. carminis XIV. sed etiam perexiguam esse laudem, si quis βλέπων ἀνδρεῖον dicatur. Omnino autem rarum est ὁρᾶν isto significatu. Posidippi exemplo, quod ad Euripidis Iph. Aul. 1127. attuli, addi possunt Hesiodei Scuti Herculis v. 426. δεινὸν ὁρῶν ὄσσοισι, Theocriti XIII. 45. ἔαρ ὁρόωσα Νύχεια, et nescio cuius δράκοντες πῦρ ὁρῶντες apud Eustathium p. 1555, 54. a quibus valde diversum est ἀλκὰν ὁρῶν. Pindarum hoc dicere puto: clama hunc virum mirabiliter validum manu evasisse, dum dextrum membrorum robur respicit, hoc est curat. Aeschylus Sept. ad Theb. 660.

ἀνὴρ ἄκομπος, χεὶρ δ' ὁρᾷ τὸ δράσιμον.

Similiter circumspicere dicuntur qui aliquid procurant, ut apud Theocritum XV. 2. ὅρη δίφρον, Εὐνόα, αὐτᾷ, et apud Sophoclem in Aiace v. 1166. σπεῦσον κοίλην κάπετόν τιν' ἰδεῖν τῷδε.

Progredior ad carmen undecimum, in quo quum ad πελώριον v. 21. vetus scholiastes adscripserit τὰ δύο μία ἐστὶ περίοδος ιζ' συλλαβῶν, gavisus est Boeckhius et in adnotatione ad illud scholion et in dissertatione critica p. 10. quod iste scholiastes, doctior vulgaribus magistris, confirmet hunc versum, qui vulgo in duos divisus erat,

πελώριον ὁρμάσαι κλέος ἀνὴρ θεοῦ σὺν παλάμᾳ.

Nihil detraham de laude hominis, qui hunc nobis versum septemdecim syllabarum praebuit, quamquam, si hoc ei in mente fuit, quod fuisse putat Boeckhius, vereor ne erraverit. Nam si qui versus in omnibus strophis brevi syllaba ita terminatur, ea ut cum proximi versus prima syllaba non hict, suspicio est continuari numeros utriusque versus, de qua re quum alibi, tum in Elementis doctr. metr. III. 18, 6. p. 703. monui. Video mihi oppositum iri hiantia in tertia epodo ἅρματι ἀγώνιον et in quinta ἅ ποτε ἀναιδέα. Sane probabiliter Boeckhius ex antiquis libris ἅρματι posuit pro ἅρμασιν, quod scripserint qui propter χείρεσσι ποσίν τε numerum pluralem etiam in tertio nomine praetulerint. Verum non minus probabiliter responderi potest, singularem a grammaticis positum esse, quo distincte unius currus victoria significaretur. Quintae epodi exemplum non agnosco. Nam neque habent libri hiatum, in quibus et ἅ τ' et ἅ ποτ' est, et suspectissimum est Γανυμήδει ita collocatum, ut praeter necessitatem ingrata longae syllabae solutio admitteretur. Corruptam esse scripturam recepto ex interpretatione ἀναιδῆ puto. Quare ut in tertia epodo ἅρμασιν teneo, ita in quinta reponendum arbitror:

ὥρᾳ τε κεκραμένον, ἅτε Γανυμήδει ἀναίδητον
πότμον ἄλαλκε σὺν Κυπρογενεῖ.

Quum prior horum versuum et ipse septemdecim syllabas habeat, dubitari poterit an de his potius locutus sit iste scholiastes.

Quod de versibus in brevem syllabam exeuntibus dicebam, cadit etiam in alium versum epodorum. Omnino autem quo longius procedit accurata veterum poetarum tractatio, eo certius apparet quanta eorum in elaborandis versuum numeris cura ac diligentia fuerit, ita ut quae defendi excusarive licentiae cuiusdam venia solebant, in dies pauciora fieri videamus. Ac profecto mirum foret, si poetae in tanto studio, quod in hac re posuerunt, aliquando tam aut pauperes verborum aut inopes consilii fuissent, ut servare quas sibi fecerant leges non potuerint. Exemplo est tertius epodorum versus, cuius iustam videmus formam, licet ut ego quidem arbitror non pleni, in tertia epodo: nam addenda ei videtur pars sequentis versus, hoc modo:

οὐ πολλὸν ἴδε πατρίδα πολυκτέανον ὑπὸ στερεῷ πυρὶ πλαγαῖς τε σιδάρου.

Creditum est *πολυκτέανον* quattuor syllabis pronuntiandum esse, ea vox ut esset antispastus. At cur synaloephen admisisset Pindarus, quum *πολυκτήμον'* in promptu esset? Conveniunt cum iusta mensura confirmantque eam primae quintaeque epodi versus, si soluta diphthongo recitantur:

καὶ χάλκεος Ἄρης· τράπε δὲ Κυκνέϊα μάχα καὶ ὑπέρβιον Ἡρακλέα·
πύκτας δ'.
εὐάνορα πόλιν καταβρέχων· παΐδ ἐρατὸν δ' Ἀρχεστράτου αἴνησα,
τὸν εἶδον.

Illae enim diphthongorum solutiones multo sunt crebriores quum apud lyricos, tum etiam apud tragicos, quam plerique opinantur: quin apud Homerum ceterosque antiquos epicos, apud quos innumerabiles sunt, ne vocari quidem solutiones possunt, quia postero demum aevo vocales in diphthongos coaluerunt. Obstare versui quem posui videatur tertia et quarta epodus. Atque in tertia quidem vulgari opinioni satisfaciebat

ἀκρόθινα διελὼν ἔθυε καὶ πενταετηρίδ' ὅπως ἄρα ἔστασεν ἑορτάν,

sed id ferri non posse arguit longae anacrusis in pyrrhichium solutio, ex quo consequitur versum a grammaticis utcumque metro accommodatum esse, postquam initium interierat. Id si quis ex scholiis coniiceret *θεοῖσιν* fuisse, refelleretur alio anacrusis vitio. Scripsisse videtur Pindarus:

τὸ δὲ σαφανὲς ἰὼν πόρσω κατέφρασεν,
ὅπᾳ τὰν πολέμοιο δόσιν
βωμοῖσιν ἀκρόθινα διελὼν ἔθυέ τε πενταετηρίδα τ' ἔστασεν ἑορτάν,

quibus in verbis Lobeckius in Paralip. p. 197. cum scholiastis *ἀκρόθινα* pro *ἀκροθίνια* dictum iudicans non probavit Heynium, qui *δόσιν ἀκρόθινα* iungebat. Mihi id Heynius recte fecisse videtur, non ut credam *ἀκρόθιν* aut *ἀκρόθις* a quoquam esse usurpatum, sed quod Pindarus tamquam ab isto nominativo accusativum adiectivi formaverit.

In quarta epodo, si sententia spectatur, nihil est quod non sit recte apteque dictum: *ἀρχαῖς δὲ προτέραις ἑπόμενοι καὶ νὺν ἐπωνυμίαν χάριν νίκας ἀγερώχου κελαδησόμεθα βροντάν*: numeri autem non ferunt *καὶ νὺν*, nec *χάριν νίκας*. Fortasse haec sic scripta fuerant:

ἀρχαῖς ἑπόμενοι δὲ προτέραις ἔτι νὺν ἐπωνυμίαν χάριν ἀλκᾶς ἀγερώχου
κελαδησόμεθα βροντάν.

Δὲ coniunctionem scribae saepissime post primam vocem posuerunt, ubi ab ea remotiorem invenerant, ut v. 71. ubi a Pindaro *ἄκοντι Φράστωρ δ'* erat profectum. Non post quotum verbum ponatur ista particula quaerendum est, sed an post id verbum, quod recte opponatur praegressis. *ΑΛΚΑΣ* quantillum ab *ΝΙΚΑΣ* distet nemo non videt, *χάρις* autem, ut saepe apud Pindarum, hic victoria nominatur. In illis quae ad *βροντὰν* addidit poeta, *καὶ πυρπάλαμον βέλος ὀρσικτύπου Διός, ἐν ἅπαντι κράτει αἴθωνα κεραυνὸν ἀραρότα*, postrema non recte intellecta video. *Κεραυνὸς ἐν ἅπαντι κράτει ἀραρὼς* est fulmen cum omni victoria coniunctum, quia Iupiter dat victoriam.

Latuit gravis error in his v. 24. *ἀγῶνα δ' ἐξαίρετον ἀεῖσαι θέμιτες ὦρσαν Διός, ὃν ἀρχαίῳ σάματι πὰρ Πέλοπος βίῃ Ἡρακλέος ἐκτίσσατο.* Non intelligebatur enim quid esset, quod antiqui libri pro his verbis, *βίῃ Ἡρακλέος*, haberent *βωμὸν ἐξάριθμον Ἡρακλέης*. *Βωμὸν* quidem unde venerit ex scholiis discimus: nam tumulus Pelopis non diversus ab ara esse dicebatur. *Ἐξάριθμον* autem nihil aliud est quam interpretatio vocabuli, quod non intellectum in *ἐξαίρετον* erat mutatum. *Βίῃ Ἡρακλέος* recte posuit Triclinius, sola dialecto peccans. Non dubium videtur quid Pindarus scripserit:

ἀγῶνα δ' ἐξήριτον ἀεῖσαι θέμιτες ὦρσαν Διός, ὃν ἀρχαίῳ σάματι πὰρ Πέλοπος
βία Ἡρακλέος ἐκτίσσατο.

Ut ab *ἄρω* est *ἀρϑμός*, sic ab inusitato ex eadem radice verbo *ἀρίζω ἀριϑμός* et verbalia in *ηριτος*, ut *Νήριτον*, *νήριτος ὕλη*, *νηριτόμυϑος*, *νηριτόφυλλον*, et quod simillimum est Pindarico Iliad. XXII. 349.

οὐδ' εἴ κεν δεκάκις τε καὶ εἰκοσινήριτ' ἄποινα
στήσωσ' ἐνϑάδ' ἄγοντες,

quod est *εἰκοσινάριϑμα*. Sex autem certamina instituerat Hercules, eaque ordine enumerantur v. 60—73.

Stropharum huius carminis ultimus versus Glyconeus est, sed ille iambum, non ut in nono carmine trochaeum, in basi habens, ita ut hoc genus diversum ab altero esse videatur. Et quum in decem strophis duae tantum spondeo discrepent, vel haec paucitas suspicionem vitii facit. Accedit quod in quinta stropha vetus scholiastes ad haec verba, *ϑνάσκοντι στυγερώτατος*, adnotavit: *τοῦτο ἐν τῷ καϑόλου λέγει, ἐπεὶ ὁ πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἐπακτὸν τὸν διαδεξάμενον τῷ καταλιπόντι, ὅ ἐστι τῷ ἀποϑνήσκοντι, στυγερώτατός ἐστι καὶ ἀλλότριος*. Ambiguum haec relinquunt, legeritne *ϑνάσκοντι*, an *ϑανόντι*, an *λιπόντι*: sed quum et hic et alius vetus scholiastes, qui *ϑνάσκοντι* habuit, hoc participium simul ad *ἀλλότριον* et ad *στυγερώτατος* rettulerint, veri simile est ut qui solum *στυγερώτατος* cum participio coniungebant, praesens tempus posuerint. Itaque in tertia stropha v. 48. non absonum erit, *τιμάσας* interpreti, Pindaro autem *ἀγάλλων πόρον Ἀλφεοῦ* reddere. Quintae igitur strophae versus sic scriptos fuisse credibile est:

ἀλλ' ὥτε παῖς ἐξ ἀλόχου πατρὶ
ποϑεινὸς ἵκοντι νεότατος τὸ πάλιν ἤδη, μάλα τέ οἱ ϑερμαίνει
φιλότατι νόον,
ἐπεὶ πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα
ἐπακτὸν ἀλλότριον
ϑανόντι στυγερώτατος.

Sed hic locus eiusmodi est, ut de tempore quo hoc carmen scriptum sit dubitationem excitet. Vicerat Hagesidamus puer Olympiade LXXVIII. pugilatu, in eamque victoriam scripserat Pindarus carmen X. promiseratque maius et splendidius carmen, cuius promissi se diu neglecti in illo ipso altero carmine reum fatetur. Hoc carmen factum esse ut tempore Olympiorum caneretur indicant *ϑέμιτες Διός* v. 24. Nunc una an plures Olympiades inter utrumque carmen intercesserint, inutile esset quaerere, nisi id ad iustam interpretationem eorum opus videretur, quae et de victoria Hagesidami et de hoc carmine hic dicit Pindarus. Boeckhius ut conii-

ceret cantatum esse carmen redeuntibus sollemnibus Olympiis in prytaneo, in quo insigne Locrensium fulmen propositum esset, magistratum gerente Hagesidamo, eo videtur adductus esse, quod poeta carmen victori similiter acceptum fore dixerit ut si patri iam senescenti filius, cui opes suas relinquat, ex uxore nascatur, adieceritque frustra vixisse, qui illaudatus ad inferos abeat. Sunt haec sane talia, quae viro aetate iam provecto, non puero, recte dicantur, et potuisse ita acta esse confitendum est, etsi nec de prytaneo nec de gesto magistratu ulla in carmine facta est indicatio. Ac video credi. At nimis profecto mirum foret, si non solum Hagesidamus victoriam, quae ei olim puero contigisset, senex demum sollemniter celebrasset, sed etiam Pindarus promissum puerili victoriae carmen tot annos quot inter pueritiam et senectutem intersunt distulisset. Multo veri similius est, Pindarum Olympiae, statim quum vincentem viderat Hagesidamum, breve illud carmen, quod in Boeckhii recensione decimum est, scripsisse, promisisse autem carmen, quod in publica victoriae celebratione apud Epizephyrios Locros caneretur; quod quum facere oblitus esset, persolvisse debitum anno quarto, hoc est proxima Olympiade. Nam quae modo dicebam sic scripta esse, ut seni potius quam puero convenire videantur, ea cur ita scripserit Pindarus ex ipso carmine puto intelligi posse. Aegre steterat in certamine Hagesidamus, ut haec verba indicant, *τράπε δὲ Κυκνεῖα μάχα καὶ ὑπέρβιον Ἡρακλέα,* viceratque tandem collectis viribus, quum instigaret magister eius Ilas. Sensit hoc vetus scholiastes, qui scripsit: *ἔοικε δὲ ὁ Ἀγησίδαμος ἡττῆσθαι πρῶτον, εἶτα ὕστερον ὑπὸ Ἰολάου παροξυνθεὶς νενικηκέναι.* Ex quo suspicari licet ita contusum esse ab adversario, ut in posterum aut noluerit aut ne potuerit quidem pugilatu certare. Ac neque victoriam eius aliam ullam aut certamen commemorat Pindarus, nec, quod facere solet, aliarum spem victoriarum ostendit, ita ut de eo, qui iam defunctus esset certandi studio, vere dici potuerit frustra vixisse, cui transeundum ad inferos sit sine gloria. Itaque Pindarus, quo compensaret deficientem aliarum laudum materiam, tanto ampliore praeconio splendidum honorem institutorum ab Hercule ludorum, in quibus Hagesidamus vicisset, exornavit. Illa autem senis puero sibi nato gaudentis comparatio non ad aetatem victoris, sed ad diutinam dilationem promissi carminis videtur esse referenda.

In tertio decimo carmine omnibus in strophis quum numeri, tum etiam verba sunt turbata. Et in prima quidem stropha sic est scribendum:

ἐν τᾷ γὰρ Εὐνομία ναίει κασίγνηταί τε Δίκα, πολίων ἀσφαλὲς
βάθρον, καὶ ὁμότροπος Εἰράνα, ταμίαι
ἀνδράσι πλούτου.

Commutavi sedes horum vocabulorum, *Δίκα* et *βάθρον*, quia eo loco quo *Δίκα* positum erat ceterae strophae spondeum indicant. Proxima verba vetus scholiastes sic reddit: *ἡ ἀδελφὴ αὐτῆς ὁμότροφος Εἰρήνη*, ut *ὁμότροφος* legisse videatur. Alter librorum scripturam sic interpretatur, *ἡ τὴν αὐτὴν αὐτῇ γνώμην ἔχουσα.* Mihi concors, ut concordiae effectrix, significari videtur.

Sed ostendendum est, quam posui horum metrorum descriptionem etiam in ceteris strophis constare. Ac v. 15. servanda est vulgata scriptura:

ἄκραις ἀρεταῖς ὑπερελθόντων ἱεροῖς
εἰν ἀέθλοισιν.

Non est enim cur *εἰν* repudietur, quia alibi in his quae habemus Pindari carminibus non exstet. In trochaeo quidem haec forma ferri non potest, in dactylo autem munita est exemplo epicorum. Alioqui poterat Pindarus *ἀμφ᾽ ἀέθλοισιν* scribere, ut Nem. II. 17. Isthm. I. 50. IV. 55.

In proxima stropha recte libri:

πεντάθλῳ ἅμα σταδίου νικῶν δρόμον, οὐκ
ἀντεβόλησεν
τῶν ἀνὴρ θνατὸς οὔπω τις πρότερον.

Nam haec iteratio negationis non prodit negligentiam sermonis quotidiani, sed indicat universe enuntiatae sententiae repetitionem cum accessione quadam: *οὔ τις ἀντεβόλησεν, οὔπω τις πρότερον ἀντεβόλησεν.*

V. 38. restituendum quod libri habent *μέν*:

μηνός τέ οἱ
τωὐτοῦ κρανααῖς ἐν Ἀθάναισι τρία μὲν
ἔργα ποδαρκὴς
ἁμέρα θῆκε κάλλιστ᾽ ἀμφὶ κόμαις.

V. 53. Triclinius metri caussa imperite scripserat *τὸν γάμον.* Debebat pronomen ponere:

καὶ τὰν πατρὸς ἀντία Μήδειαν θεμέναν
οἷ γάμον αὐτᾷ,
ναΐ σώτειραν Ἀργοῖ καὶ προπόλοις.

V. 61. recte libri:

τοῖσι μὲν
ἐξεύχετ᾽ ἐν ἄστεϊ Πειράνας σφετέρου

μὲν πατρὸς ἀρχὰν
καὶ βαθὺν κλᾶρον ἔμμεν καὶ μέγαρον.

Omissum esse in quibusdam libris alterum μὲν videtur, quia non recte poni putabantur duo μὲν in uno membro. At ut ad quodvis μὲν non sequente δὲ subintelligenda est contraria sententia, ita hic quoque: apud Danaos quidem Glaucus se Corintho oriundum dicebat, Troiani autem Euchenorem norant Corinthium: Glaucus narrabat proavi quidem sui regnum Corinthi domumque fuisse, non esse autem sibi ab illo exsule in Lycia genus ducenti.

V. 76. non explet numerum χρήσιος, qui plenus esset si μαντεΐας legeretur. Verum, si non fallor, Pindarus, cui χρῆσις usum significat, scripserat

ὥς τ' ἀνὰ βωμῷ θεᾶς
κοιτάξατο νύκτ' ἀπὸ κείνου χρηΐσιος.

Nam quod in Etymologico M. traditum est, χρήζειν scribendum esse sine iota, ubi oraculum edere significaret, vanum est. Sensit Brunckius ad Soph. Oed. Col. 1426. Unum idemque verbum est χρηΐζω, χρῄζω, sive indigere sive praedicere significat.

V. 84. recte sane restitutum est ἕλε, quod Triclinius cum ἔλαβε commutaverat, sed addenda est particula:

ἦτοι καὶ ὁ καρτερὸς ὁρμαίνων ἕλε μὲν
Βελλεροφόντας
φάρμακον πραῢ τείνων ἀμφὶ γένυι
ἵππον πτερόεντα.

In proxima stropha recte scriptum est δή, sed non coalescens cum sequente voce.

Denique v. 107. quod in antiquis libris est, ἐν Ἄργεϊ θ' ὅσσα καὶ ἐν Θήβαις ὅσα τ' Ἀρκάσιν ἀνάσσων μαρτυρήσει Λυκαίου βωμὸς ἄναξ, nimis religiosus sit, qui oblatum ab aliquot libris ἀμφ' Ἄργεϊ θ' ὅσσα repudiet: sed in ceteris vellem non esset receptum quod olim conieci Ἀρκὰς ἀνάσσων: est id enim arcessitum, debebatque simplicius quid et usitatius Pindaro quaeri, quum praesertim iam Λυκαίου ἄναξ audacius dictum sit, quam Nem. II. 19. ὑψιμέδων Παρνασσός. Id hoc videtur esse:

ἀμφ' Ἄργεϊ θ' ὅσσα καὶ ἐν Θήβαις, ὅσα δὲ
Ἀρκάσι μάσσω
μαρτυρήσει Λυκαίου βωμὸς ἄναξ.

Sed dicendum est etiam de epodis, quarum in prima v. 20. τίς γὰρ

in altero membro sententiae interrogativae positum repugnat usui *δὲ* poscenti, *βασιλέα δίδυμον* autem non probandae synaloephae necessitatem infert. Nimirum alius quam credebatur horum verborum numerus est, quem sic restituemus:

τίς δ' ἄρ' ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν μέτρα
ἢ θεῶν ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλῆα δίδυμνον ἐπέθηκ'; ἐν δὲ Μοῖσ' ἁδύπνοος,
ἐν δ' Ἄρης ἀνθεῖ νέων
οὐλίαις αἰχμαῖσιν ἀνδρῶν.

In secunda epodo, in qua v. 42. recte librorum scripturam *ἕψονται* tuetur Kayserus, v. 45. haec leguntur: *ὅσσα τ' ἐν Δελφοῖσιν ἀριστεύσατε ἠδὲ χόρτοις ἐν λέοντος δηρίομαι πολέσιν περὶ πλήθει καλῶν.* Ineptissimum vero est *πολέσιν.* Nam quid est hoc: contendo cum multis de numero gentis vestrae victoriarum. Qui sunt illi multi? num gentes multae? at nihil frigidius dici potuit quam multae gentes non toties quoties vestra vicerunt. an sunt homines? tum multo magis absurda est totius gentis cum aliquo uno homine comparatio. an denique sunt multae gentes uno complexu comprehensae? hoc rationem quidem aliquam haberet, sed nemo divinare posset multos dicentem gentium aliquam multitudinem intelligi velle. Haeserunt in his verbis iam scholiastae, qui etiam ineptiora protulerunt. Immo a Corinthiorum laude ad laudem Oligaethidarum progressus poeta cum urbibus se contendere dicit, quo significat alias urbes non posse gentem toties victricem nominare. Id vero non dixerat Attica lingua *πόλεσι*, quam formam recte ab eo abiudicavit Boeckhius ad fragm. 229. Nempe sic scripserat:

ὅσσα τ' ἐν Δελφοῖσιν ἀριστεύσατε
ἠδὲ χόρτοις ἐν λέοντος, δηρίομαι πολίεσσι περὶ πλήθει καλῶν· ὡς μὰν σαφές,
οὐκ ἂν εἰδείην λέγειν
ποντιᾶν ψάφων ἀριθμόν.

Accedit quod in obliquis casibus a *πολὺς* non videtur Pindarus epica forma, quae etiam apud tragicos rara est, usus esse. Nam alterum exemplum, quod est in Pyth. IV. 56. non minus quam hic ineptam praebet sententiam. Scribendum ibi:

τὸν μὲν πολυχρύσῳ πότ' ἐν δώματι
Φοῖβος ἀμμνάσει θέμισσιν
Πύθιον ναὸν καταβάντα, χρόνῳ δ'

ὑστέρῳ νάεσσί ποτ' εἰσανάγει
Νείλοιο πρὸς πῖον τέμενος Κρονίδα.

In tertia epodo aut a metricis expulsae aut ab antiquo scriba propter praecedentium et sequentis litterae similitudinem neglectae sunt litterae *ΣΥΔ*. Restituendum enim:

ἐξ ὀνείρου δ' αυτίκα
ἦν ὕπαρ. φώνασε δ', εὕδεις, Αἰολίδα βασιλεῦ; σὺ δ', ἄγε,
φίλτρον τόδ' ἵππειον δέκευ,
καὶ δαμαίῳ νιν θύων ταῦρον ἀργᾶν πατρὶ δεῖξον.

Posuerat in his aliquis metricus *ἀργόν*, sicuti *βόες ἀργοὶ* dicti sunt Iliad. XXIII. 30. sed veteres libri *ἀργᾶντα* habent. Sintne ex hoc loco petiti qui ex aliquo grammatico ab Eustathio p. 1286, 3. 1430, 62. 1454, 6. apud Pindarum memorantur *ἀργᾶντες ταῦροι*, incertum est. Ego quidem Pindarum, qui non solvat longas syllabas nisi in nominibus propriis, hic *ἀργᾶν* scripsisse puto, etsi non habeo aliud huius formae exemplum, quam in Aeschyli Agamemnone v. 116. *ὅ τ' ἐξόπιν ἀργᾶς*, quod quidem scio ex *ἀργήεις* contractum videri posse. Alio significatu *ἄργας* vel *ἀργᾶς* dictum affertur in Bekkeri Anecdotis p. 442, 30. et in tribus codicibus Harpocrationis p. 32. sed complures formae fuerunt istius stirpis, ex qua dixerunt *ἄργεμον, ἀργεννόν, ἀργέτα, ἀργῆτα, ἀργεστήν, ἀργηστήν, ἄργυρον, ἀργύφεον.* Non probarem certe, si quis versus qui duo fuisse videntur sic in unum coniungeret:

καὶ δαμαίῳ πατρὶ ταῦρον θύων ἀργᾶντα δεῖξον.

In quarta epodo v. 91. alii libri *διασωπάσομαι αὐτῷ μόρον*, alii *διασιγάσομαί οἱ μόρον ἐγώ*, pauci *διασιωπάσομαι.* Genuinum esse *οἱ μόρον*, imperite autem additum *ἐγώ*, facile perspicitur. De *σωπᾶν* verbo autem qui factum ut nec scholiastae neque alii grammatici mentionem fecerint praeter Ioannem Tzetzam, vanissimum hominem, qui ad Hesiodi *ἔργα* v. 664. eruditionem suam ostentans *σωπάσομαι*, haud dubie ex hoc ipso Pindari versu, ut Aeolicum affert? Id verbum, ex quo etiam Isthm. I. 63. *σεσωπαμένον* legitur, ego errorem scribarum esse existimo, sicut etiam apud Xenophontem in Mem. Socr. III. 6, 4. quidam libri *διεσώπησεν* exhibent, de quo loco inconsiderate iudicasse I. G. Schneiderum non latuit Boeckhio. In Isthmico carmine restituendum *σεσιγαμένον.* cuius interpretatio fuit *σεσιωπημένον.* Olympio autem carmini reddendum quod numeri postulant:

καὶ Χίμαιραν πῦρ πνέοισαν καὶ Σολύμους ἔπεφνεν. διασιωπάσομαι μέν οἱ μόρον.

Denique in quinta epodo v. 113. ubi *ἀλλὰ* est in libris, sententia bona, sed vitiato metro, recte quidem *ἄνα* restituit Boeckhius, sed et syllaba deest, et sententiae debebant aliquo vinculo copulari. Peccatum hic est eodem modo quo in tertia epodo. Scribendum:

καὶ πᾶσαν κατὰ
Ἑλλάδ' εὑρήσεις ἐρευνῶν μάσσον' ἢ ὡς ἰδέμεν. σὺ δ', ἄνα, κούφοισιν ἐκνεῦσαι ποσὶν,
Ζεῦ τέλει, αἰδῶ τε δὸς καὶ τύχαν τερπνῶν γλυκεῖαν.

Restant vero etiam alia in hoc carmine, quae correctione indigeant. Ac v. 49. non est veri simile ut hiatum in *δὲ ἴδιος* admiserit Pindarus. Quum plerique scholiastae id *ὡς ἴδιος* interpretentur, scripsisse poetam puto:

ἐγὼ δ' ἅτ' ἴδιος ἐν κοινῷ σταλείς.

V. 71. vereor ne *κνώσσοντί οἱ* in versu ab iambo incipiente interpretis sit, quum poeta scripsisset:

κυαναιγὶς ἐν ὄρφνᾳ
πνέοντί οἱ παρθένος τόσα εἰπεῖν
ἔδοξεν· ἀνὰ δ' ἔπαλτ' ὀρθῷ ποδί.

Aeschylus Choeph. 617. *Νῖσον ἀθανάτας τριχὸς νοσφίσασ' ἀπροβούλως πνέονθ' ἁ κυνόφρων ὕπνῳ*, quod scholiastes interpretatur *ἀσθμαίνοντα.* Cur autem *ἀνὰ δ' ἔπαλτο*, quod est *ἀνέπαλτο δέ*, de quo verbo disputavit Spitznerus in excursu XVI. ad Iliadem, mutatum sit in *ἀνὰ δ' ἐπᾶλτο*, propagataque haec scriptura etiam in novissimas editiones, permirum est. Nam neque *ἐπᾶλτο* hic dici potuit, qui autem *ἀνὰ ποδὶ* exsiliret, alieno pede uteretur.

V. 79. Kayserus recte *ᾆ τάχιστα*, sed quod sequitur *αὐερύῃ*, eius vera scriptura *ἀνρύῃ* in scholiis servata est. Scimus enim Homericum *αὐέρυσαν*, ut Hesiodi *καυάξαις*, esse *ἀνέρυσαν* et *κατάξαις*, litteris *ν* et *τ* in digamma quod sequebatur mutatis. In proximo versu *εὐθὺς* nihil ad rem confert, displicetque etiam propter praegressum *ᾆ τάχιστα.* Id igitur cum cod. Pal. *ἐγγὺς* scribendum.

V. 83. magis diligentia Triclinii quam eruditio laudanda, qui ut spondeum reduceret, *πληροῖ* pro *τελεῖ* scripserit. Reponendum:

τέλλει θεῶν δύναμις καὶ τὰν παρ' ὅρκον τάν τε παρ' ἐλπίδα κούφαν κτίσιν.

Τέλλειν enim Pindarus eadem significatione qua ortum ex eo *τελεῖν* usurpavit: v. I. 76. II. 70. X. 6. Pyth. IV. 257.

V. 88. scribendum:

αἰθέρος ψυχρᾶς ἀπὸ κόλπων ἐρήμων.

Nam *ἐρήμου* eo loco positum, quo, quoniam *ψυχρᾶς* praecessit, non exspectatur aliud epitheton aetheris, invenustissimum est.

Addam his carmen decimum quartum, quod ex lacerato ultimo codicis folio descriptum multis modis criticos exercuit. Id iam videor mihi, ut in re dubia, aliquanto propius ad veram scripturam hoc modo revocasse:

Καφισίων ὑδάτων λαχοῖσαι, *στρ.*
αἵτε ναίετε καλλίπωλον ἕδραν,
ὦ λιπαρᾶς ἀοίδιμοι βασίλειαι
Χάριτες Ὀρχομενοῦ, παλαιγόνων Μινυᾶν ἐπίσποποι,
κλῦτ᾽, ἐπεὶ εὐχόμεσθα. σὺν γὰρ ὔμμιν τά τε τερπνὰ καὶ
τὰ γλυκέα γίγνεται πάντα βροτοῖς,
εἰ σοφὸς ἢ καλὸς ἤ τις ἀγλαὸς ἀνήρ. οὐδὲ σεμνᾶν
ἄτερθεν Χαρίτων θεοὶ
κοιρανέοντι χορούς, οὐδὲ δαῖτας· ἀλλὰ πάντων ταμίαι
ἔργων ἐνουρανίων χρυσότοξον θέμεναι σχεδὸν
πὰρ Πύθιον Ἀπόλλωνα θρόνους
ἀέναον σέβοντι πατρὸς Ὀλυμπίοιο τιμάν.
ὦ πότνι᾽ Ἀγλαΐα, φιλησί- *ἀντιστρ.*
μολπέ τ᾽ Εὐφροσύνα, θεῶν κρατίστου
παῖδες, ἐπάκοοι τὸ νῦν, Θαλία τε
ἐρασίμολπε, ἰδοῖσα τόνδε κῶμον ἐπ᾽ εὐμενεῖ τύχᾳ
κοῦφα βιβῶντα· Λυδίῳ γὰρ Ἀσώπιχον ἐν τρόπῳ
ἔν τε μελέταις ἀείδων ἔμολον,
οὕνεκ᾽ Ὀλυμπιόνικος ἁ Μινυεία σεῦ ἕκατι.
μελαντειχέα νῦν δόμον
Φερσεφόνειον ἴθ᾽, Ἀχοῖ, πατρὶ κλυτὰν φέροισ᾽ ἀγγελίαν,
Κλεύδαμον ὄφρα ἰδοῖσ᾽ υἱὸν εἴπῃς ὅτι οἱ νέαν
κόλποισι παρ᾽ εὐδόξοιο Πίσας
ἐστεφάνωσε κυδίμων ἀέθλων πτεροῖσι χαίταν.

V. 8. quum in libris versus ita descripti sint, ut in antistrophicis *σεῦ ἕκατι* versum finiat, quae autem sequitur sententia aptissime novum versum incipiat, ad hoc exemplum verba hic correxi, non tamen ut haec

certa putem. In libris est οὔτε γὰρ θεοὶ σεμνᾶν Χαρίτων ἄτερ. Ea si uno versu comprehensa fuerunt, facile quidem aequari metra possunt, si ἁγνᾶν scribitur, quod Kayserus coniecit. Verum ista correptio diphthongi in fine dactyli tam inelegans est, quam quod XI. 33. quibusdam placuit, μυχοῖς ἥμενοι Ἄλιδος, ut mirum foret, ni Pindarus scribere maluisset, οὐδὲ γὰρ δίχα σεμνᾶν Χαρίτων θεοί.

V. 10. addidi σχεδόν, quod Pindarus etiam I. 74. XI. 52. Pyth. V. 38. sic posuit ut abesse potuerit.

V. 12. iusta est divisio vocabuli, quia utraque pars integram notionem continet, φιλῆσαι et μολπήν. Ea lex etiam in caesuris observatur illis, quae aliter inviolabiles sunt.

V. 21. veteres libri Φερσεφόνας ἔλθ' Ἀχοῖ, ut, si id usitatum fuisset, alicui ἔλυθ' in mentem venire possit. At etsi ab ἐλεύθω dictum est ἤλυθον, tamen inaudita sunt ἔλυθον, ἐλύθω, ἐλύθοιμι, ἐλυθών, ἐλυθεῖν, et imperativus ἔλυθε. In recentioribus libris accommodatius verbum ἴθι, sed hiatum inferens, est inventum. Hinc posui Φερσεφόνειον ἴθ' Ἀχοῖ. Non nominatus poeta in Anthol. Pal. VII. 483. ἔσται μὰν ὅ γε παῖς ἐν δώμασι Φερσεφονείοις παίγνιον.

V. 22. libri ὄφρ' ἰδοῖσ' υἱόν. Recte puto Schmidium ad Homerici sermonis normam plene scripsisse ὄφρα, praesertim quum modo praecesserit ἐρασίμολπε ἰδοῖσα. Ideo v. 10. scripsi ἐνουρανίων. Fortasse aliquando integrior codex de his quae nunc dubia sunt veriora aperiet.

Dicendum nunc est quo successu de praemio certatum sit a Commilitonibus nostris. Ac S. R. Ordo Theologorum, qui vindicari Paulo Apostolo iusserat epistolam ad Philippenses contra Baurum, duas commentationes accepit, quarum ea digna praemio iudicata est, cui inscriptum erat μιᾷ ψυχῇ συναθλήσωμεν ἐν πίστει τοῦ εὐαγγελίου. Nam scriptor rem et plenius et sollertius et eruditius et ordinatius, quam qui alteram fecit, tractasse visus est. Recte illud, 2, 6. ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχειν est interpretatus, licet iusto plus tribuerit his verbis ad demonstrandam Christi praeexistentiam, quae ex iis non sequitur necessario, breviusque pro illa sententia ut Paulo probata disputaverit, inque refutandis quae ad κενοῦν pertinent, verba magis quam mentem spectaverit. In parte historica similitudinem inter verba 2, 6. et gnosticas sententias minus cupide negare, et potius ratiocinationem Bauri refutare debebat. Ceterum laudanda est

eius fontium gnosticorum cognitio et in discernendis notionibus iudicium. Scribendi genus non est quidem destitutum colore Latino, sed tamen non vacuum insignibus naevis grammaticis. In universum pars affirmativa, quae facilior est, probanda: magis tamen satisfecerunt altera et tertia, negativae, etsi in his magis est alienam auctoritatem secutus. Scriptor repertus est BENNO BRUNO BRUECKNER, Rosswinensis.

Altera dissertatio, Minutii Felicis verbis insignita, *in disputando non disputantis auctoritas*, *sed disputandi virtus requiritur*, simplicior, et in quibusdam partibus dilucidior, sed minus universam rem complectens, minus sollerter eruditeque nec tam via et ratione procedens, verba 2, 6. artificiosius, sed diligenter tamen et accurate tractat. Quod ad historica attinet, falsa refutatio Bauri, commentum Ophitarum de lapsu Σοφίας non antiquius Valentiniano esse, motaque propter κένωμα dubitatio, quae levis momenti est, notandae fuerunt. Tertia parte par est alteri dissertationi. Scripsit eam MAURITIUS ROBERTUS ENGEL, quem S. R. Ordo commendatum cupit Supremo Regio Ministerio, ut ei de residua ex aliis annis pecunia aliquam partem honoris caussa benigne gratificari velit.

Illustris Ordo ICtorum unam de foro contractus dissertationem accepit, quam non iudicavit dignam praemio. Nunc explicandum proposuit *mortis caussa donationum naturam.*

Gratiosus Medicorum Ordo, non invento qui in proposito argumento elaboraret, iterat illud problema. Erat autem huiuscemodi: *repetitis mensionibus examinent methodos in chirurgia applicabiles*, *quibus quis vel circuitum*, *quem pars aliqua corporis humani habeat*, *vel distantiam eius ab alia parte metiri possit*; *respiciantque maxime circuitum pectoris et distantiam plantae pedis vel tali a pelvi*; *oportet autem secundum eam methodum*, *quae optima inventa fuerit*, *ordines mensionum contexere*, *ex quibus appareat*, *quibus finibus terminetur spatium*, *in quo errores observationum evitari nequeant.*

Amplissimi Philosophorum Ordinis primae classi quae oblata est dissertatio, *comparans atque examinans Leibnitii et Lockii de intellectu humano placita*, *quo appareret quatenus et quo iure tum consentire tum dissentire viderentur*, tantam prodidit levitatem, ut scriptorem eas utriusque philosophi librorum partes, ad quas maxime mentem attendere debebat, levis momenti esse ratum, multa temere nec sine quadam arrogantia effudisse, omninoque de quaestione, cui recte cognoscendae operam

impendere neglexerat, sic disseruisse appareret, ut spem Ordinis minime impleverit.

Secunda classis iusserat *Odysseam pervestigari, indicarique quae partes vel inter se cohaereant, vel per se constent, vel aliis interpositae adnexaeve sint, quibusque signis atque indiciis originem suam et naturam prodant.* Ei redditae sunt duae commentationes, quarum ea, cui inscriptum erat *quam quisque norit artem, in ea se exerceat*, non solum scripta vitiosissime, sed etiam, etsi quaedam quae vix latere poterant, recte animadversa sunt, tamen ita sine iudicio composita est, ut quo modo res tractanda esset, plane non fuerit cogitatum. Luculentissimum documentum praeter plurima alia, hoc est, quod, quum audivisset scriptor multa in Odyssea vocabula esse, quae non invenirentur in Iliade, conquisivit illa, ope scilicet Seberiani indicis, versusque illos tribuit alicui inferiori poetae, hoc est interpolatori, non cogitans, quae res in Iliade non commemorantur, earum ne nominibus quidem locum fuisse, compararique debere, quae utroque in carmine inventa diversitatem vel verborum vel sensuum vel morum proderent.

Melior est altera dissertatio inscriptum habens hunc versum *ψεύσομαι ἢ ἔτυμον ἐρέω, κέλεται δέ με θυμός*, non illa quidem plane a vitiis dictionis libera, sed tractatione argumenti probabilem testans diligentiam. Post longum exordium, quod fere referendis aliorum observatis constare ipse scriptor fatetur, in multis carminis partibus et quae connexa fuisse viderentur et quae inter se pugnarent studiose notavit. Quo in genere etsi interdum erravit aut aliquid non recte interpretatus est aut etiam neglexit, omninoque eam viam non est ingressus, quam debebat, ut prima operis stamina investigaret, ac tum quibus modis deinceps cetera adiuncta, inserta, variata fuissent quaereret, tamen in universum laudandum est studium, quo in perquirenda re valde implicata est usus. Itaque tametsi ex parte tantum exspectationi nostrae satisfecit, tamen aequum esse censuimus, non destitui eius laborem praemio. Inventum nomen est HENRICI LUDOVICI THEODORI SCHULZE, Servestani.

Tertia classis *pugnantes inter se sententias de natura faecis, ac potissimum de differentia inter faecem superiorem et inferiorem, exponi observationibusque per microscopium faciendis explorari* voluerat. Quae una tradita est commentatio, eius prior pars brevior est quam vellemus. In altera visus est scriptor bonas observationes protulisse. Iteravit experimenta Mitscherlichii atque Helmholtzii, quaeque illi invenerant in

universum comprobari vidit. Hic labor eo magis probandus est, quod Mitscherlichii reperta saepius quidem in dubitationem vocata, non autem experimentis explorata fuerant. Quod si scriptor non eo pervenit, ut plane rationem augescentis inferioris faecis definiret, tamen ex eius observatis hoc consequi videtur, aliam natura esse rationem, qua inferior quam qua superior faex crescat. Porro complura nova atque ex parte memorabilia indagavit de vi venenorum in faecem. Denique etiam quae ex analysi elementorum faecis prodierint indicavit, ex quibus collegit differentiam inter chemicam utriusque faecis compositionem nullam esse. Quae postrema pars eius scripti etsi non satis facit, praecipueque formula compositionis dubitationibus obnoxia est, tamen diligentiam, qua hanc rem est perscrutatus, agnoscimus. Itaque quum a studioso litterarum non postulari possit plena atque absoluta problematis solutio, quae accuratiore atque altiore exploratione sententiarum de natura faecis, longiusque continuata rei tractatione opus habet, tamen strenuo labori, licet non plenum habenti successum, praemium concedendum iudicavimus. Est hic iuvenis RUDOLPHUS IOANNES WAGNER, Lipsiensis, chemiae studiosus.

In hunc annum haec proposita sunt argumenta:

A prima classe: *exponatur quamnam per medium quod dicitur aevum Italia habuerit vim ad Germaniae statum tam formandum quam turbandum.*

Ab altera classe: *diversae iuris* (*τοῦ δικαίου*) *notiones*, *quas Aristoteles libro V. Ethicorum Nicomacheorum enarrat*, *explicentur et quaenam ex his cuinam ex illis respondeat, quas recentiores philosophi inde ab Hugone Grotio posuerunt*, *disquiratur.*

A tertia classe: *expositio critica legum agrariarum post novam constitutionem* (1831) *in regno Saxonico latarum*, *quae conferendae sunt cum legibus nonnullorum de potioribus regnis Germaniae.*

Scitis, carissimi Commilitones, qui certare de praemio voluerint, scripta sua, addita obsignata schedula nomen scriptoris continente, dictoque dissertationi inscripto insignita, ante Calendas Septembres tradere Ordinum Decanis debere. Speramus autem non defore, qui suum a nobis studium diligentiamque probari cupiant.

P. P. pridie Cal. Novembr. a. MDCCCXLVII.